



7

239 99-7

DISSERTATIO PHYSICO - MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
ELECTRICITATE.

DISSERTATIO PHYSICO - MEDICA  
INAUGURALIS

PROFESSORIS ET STUDIORUM  
D E  
ANNUALIBUS ACADEMICIS  
& MULTIPLOI FACULTATIS MEDICAE DISCERNENDI  
PER GRADUOS DUCITATIS  
ELECTRICITATE.

DISPUTATUS OLLIMBUS DICENS PROCV.

ALBERTUS HERSTEDTUS M.D.

ASSIST. ARRABALDEUS ET JACOB. MONKON.

PRAESES.

DISSERTATIO PHYSICO-MEDICA  
IN VENERABILIS

DE

ELECTRICITATE.

DISSERTATIO PHYSICO - MEDICA  
INAUGURALIS

D E

ELECTRICITATE,

Q U A M

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

*Ex Auctoritate RECTORIS MAGNIFICI,*

FLORENTII JACOBI VOLTELEN,

MED. DOCT. MEDICINAE ET CHEMIAE  
PROFESSORIS ORDINARII,

N E C N O N

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu;*  
*& Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis rite  
ac legitime consequendis,

*Eruditorum Examini Submittit*


ROBERTUS GULIELMUS DISNEY THORP,

A N G L U S.

Societ. Reg. Med. Edin.

Olim Praeses.

*Ad Diem XII. Martii MDCCXC. H. L. Q. S.*



LUGDUNI BATAVORUM,  
APUD ABRAHAMUM ET JANUM HONKOOP.  
M D C C X C.

239  
G 9 7/

DISSECTATIO PHYSICO-MEDICO  
INDUENS

ELECTRICITATIS

ANNUENTE SUMMO NUMINE

ET FORTISSIMA MATERIA

PRO CIVILI DOCTORATIS

HOERETUS OVRILIMUS DISCIPULUS

ACADEMIAE MEDICO-PHYSICO-MATHEMATICA

HUMANITATI,

BENEVOLENTIAE,

PERITIAEQUE,

# GREGORII GRANT,

M. D.

S. I. R. S. E. ETC. ETC.

Hocce,

(Eâ, quâ par est, observantia)

Grati Animi testimonium

Sacrum esse voluit

Auctor devinctissimus.

• I T A T R I A M I N

E N E A O L E N T I A T

P E K I T I A E Q U I

---

G R E C O P H R A Y T

*Whose energy divine*

*Dwells not in mortal fire; whose gen'rous heat*

*Glowes thro the mass of grosser elements.*

• C T A R M S T R O N G on Health, B. I. L. 339:

---

DISSERTATIO PHYSICO - MEDICA

INAUGURALIS

D E

ELECTRICITATE.

P R O O E M I U M .

**R**OGET quis, & jure forsan, cur in au-  
to tam difficulti ac periculi pleno me involu-  
tum habeo? secum, sicut audiam, fusurrat;

A

Ec-

Ecquid reconditi profers in medium? Ec-  
 quid expeſtatione dignum eorum, quibus li-  
 berè & doctè licet dijudicare? Ecquid, aut  
 incognitum Hominibus usu & experientiâ in-  
 ſtructis, aut etiam mediocribus omnino no-  
 vum? — NIL HORUM. Me aggredi conſiteor  
 non tam ſpe perficiendi, quam experiendi  
 voluntate. Tortuosum ac abſtrusum opus eſ-  
 ſe, non is ſum, qui pernegem. Pro certo  
 ſcio, quam lubrica eſt via & confragofa, &  
 virgultis h̄ic illuc interclusa, neque in eā vel  
 progredi quisquam vel conſistere ſine caſu ali-  
 quo & prolapsione poſſit. Me autem incita-  
 vit & animavit rei magnitudo ipsiſus, & ad  
 incepturn Hominum egregiorum exemplar-  
 provocavit. Mihi pennas ſuppeditārunt &  
 me ad auſum excitārunt illi Fratres Da-  
 dalei ipsi. FRANKLINUS & PRIEST-  
 LEIUS; ſi Icarus ruam, poenas vecordiae  
 dabo.

DE hisce ELECTRICITATIS Luminibus  
mens grata gratissima multa habet dicere. Si  
quid enim aptius & exquisitus in Disser-  
tiunculâ meâ, (quamvis rara avis est,) si quid  
tamen unquam exierit, hisce e fontibus me-  
hortulos meos irrigâsse confiteor. Quod ve-  
ro de utroque Viro optimo & excellentissimo,  
cum effundere multa velim, nihil tamen sat  
compositè atque honoratè dicam, sententiae  
quidam memor ANTALCIDAE, qui „So-  
phistae cuidam laudationem Herculis recitare  
volenti,” respondit τις γαρ αυτον φεγει.

HAEC saltem dicam. FRANKLINI Judi-  
cium est subtile limatumque. Lumine lynceo  
omnia penetrat & ambit; noscit, multa, quae  
inter ancipitia probata fuerint, veris mox  
pretiis aestimari. Dum autem res inchoatas  
e ruderibus naturae rerum eruat, politas red-  
dat, formamque det; is neutiquam antiquarii  
partes agit frigide & jejune, neque diverti-

tur ad spinosas illas & exiles quaestiunculas,  
 quibus in explicandis, tot tamque praeclari  
 tantum laboris consumunt. De re ipsa arcta,  
 distincta autem atque articulatim disserit.  
 Non rivulos scientiae consecatur, sed peni-  
 tissimos ipsos fontes aperire audet. Quid  
 moror? Hunc tanquam amores & delicias suas  
 complexu & sinu recepit PHILOSOPHIA.

— hic pudicus, hic probus  
*Perambulabit astra sidus Aureum*

HOR. Epod. 17.

PRIESTLEIO etiam optimae sunt laudes  
 debitae. Res multas & varias repetivit si-  
 tuque eas informi obrutas atque oppressas  
 in lucem protulit. Materiem Electricam om-  
 nibus quasi Terris rudem latissimèque spar-  
 fam collegit undique, & quodammodo coag-  
 mentavit in unum, & acumine quidem styli  
 diligenter limavit, ornavit, illustravit.

OPE-

OFFERIS denique totius ita sunt aptae, inter se colligataeque partes, nihil ut sit asperum, vel hiulcum, vel dissolutum, nihil in alienum irruerit locum, nihil non positum sit suo. (\*)

ARCTIUS autem ad rem. — Perspicuitatis causâ, quae proferre puto, in quibusdam capitibus componam, nempe tractabo.

imo. DE Historiâ literaria,

2do. DE cursu, velocitate, & impetu Fluidi Electrici.

IV oñashi em , missioñi do nññio 3tio. De

(\*) Consulas hortor Opus perelegans & elaboratum, dictum. "The History and present state of Electric city."

3to. De Fluidi Electrici viribus in Corpora inanimata.

4to. De Fluidi Electrici viribus in Corpora animata.

5to. De Methodis, quibus Electricitas applicanda est.

6to. De Morbis quibusdam, queis Electricitas adhibenda est.

7mo. De Electricitatis actionis modo in morbis repellendis.

Ne forsan objiciatur, me silentio Virum opiniones egregiorum vel praeteriisse, vel saltem leviter percucurrisse, mihi prafari liceat, quod limites Ingenii ac temporis angusti, tot, tamque inter se discrepantes complecti vetant. In Dissertatione sequenti,

ti, animo equidem toto ad illud connifus  
sum, ut falsa ac inutilia spernerem, tantum  
vera ac bona feligerem. Quamobrem ea si  
sint fideliter facta; si hasce Primitias PRO-  
FESSORES, LECTORES, imprimisque PA-  
TRONUS meus secundis auribus accipient,  
non solum officio meo ipse satius satisfecis-  
se, verum etiam voti mei esse mihi videbor  
omnino compos: si haec sint, m̄i Anime,

*“ habes totā quod mente petisti.”*

VIRGIL. xiv

C A-

**C A P U T P R I M U M.***De Historia Literaria.*

**P**HENOMENA ELECTRICITATIS inter Arcana naturae diu involuta latuere , neque vix , labentibus annis , honorem nomenque scientiae sibi vindicabant.

A graeco vocabulo ἡλεκτρον nomen habet Electricitas , quod verbum non solùm attrahendi corpuscula in succino facultatem significat , hodierno autem die sensum latè diffusorem complectitur. THALES , Milesius , Philosophiae Ionicae pater hanc succini qualitatem primò observavit , & Electrum vi-  
vens

vens voluit. **THEOPHRASTUS** (\*) autem **ARISTOTELIS** succesor primus Electricitatis mentione in fecit. Ille in libro de gemmis observavit Electrum sive succinum (quod fossile nativum censet) acriter perfrictum, corpuscula quaedam leviora alternatim attrahendi & repellendi facultate frui. Haece facultas a quibusdam concentui cuidam Succinum inter & corpusculum attractum deberi putabatur. De naturâ autem & de locis & actione multa finguntur; deque his summi Philosophorum dissensione certatur.

**ELECTRUM** vult **PLINIUS** prout succum sponte suâ de Pino & Abietibus grandioribus distillare (†). **TACITUS** etiam hanc

opi-

(\*) A. C. annum circiter 300.

(†) Vide *Hist. Nat.* lib. 37. c. 3.

opinionem complectitur (†); & de hac re  
quam suavius cecinit Poëta

*"Pingua corticibus fudent Electra Myricae."* (\*)

ALIB

---

(†) Vide TACIT. de Mor. Ger. lib. 45. b.

(\*) ELECTRUM Graecis dicitur, quia refert Fulgorem solis, qui vocatur ἡλικτρε — Latinis Succinum, quia succus est arborum quarundarum e Pineo genere, ex quibus quasi Gummi difflit in Oceanum, ibique induratum defertur ad littus, aut a Piscatoribus extrahitur, maximè in Insulis Septentrionalibus.

Vid. VIRGIL. Ecl. 8. 54.

Accipe etiam Fabulam mellifluentis OVIDII perelegantem, quā Phaëthontiadae in Arbores hunc succum distillantes mutantur.

*"Inde flunt lachrymae stillataque sole rigescunt"*

*"De ramis ELECTRA novis; quae lucidus amnis"*

*"Excipit, & Nuribus mittit gestanda Latinis."*

OVID. Met. Lib. 2.

ALII alias sententias complexi sunt, non autem nobis in Philosophorum controversiis nosmet irretire, vel scientiam ipsam per varios anfractus a primordiis ad hunc usque diem prosequi licet, pauca tamen hoc in loco de *Electricitatis Medicae Historia* offerre non alienum erit.

DUM velut alter PROMETHEUS, ignem Electricum, Ætheream tanquam Domo Philosophus subduceret, pars scientiae Therapeuticæ diu oblituit, ac nuperrimè solùm honores pro meritis exceptit dignos.

Vix hujus aevi circiter medium, in morbos invocata fuit ELECTRICITAS. A. D.  
1744. Professor (\*) Academiae Halae Mu-

lie-

(\*) DOM. C. KRATZENSTEIN Prax. Med. Profesfor.

Herem digiti contractione auricularis laborantem in quartâ parte horae Electrisatione sanavit. Unicâ etiam Electrisatione alium quendam simili contractione affictum adeo sublevavit, ut iterum citharae pulsare potuerit. JALLABERT (†) Professor cel. Genevensis Paralysin ope Electricitatis primum repulit; & in plurimis morbis PIVATI (\*) Venetiensis bonis avibus hocce remedium fertur administrâsse.

PNEUMATAS quasdam de Cylindris diureticis, sadorificis & Anti-apoplecticis somniavit idem iste; somniavit, haec enim non Philosophorum judicia, sed delirantium somnia videntur. Nullus re ipsa versatus, vel Electricitatis vel Medicaminum effluvia per vitrum penetrare credat.

ET.

(†) Vide JALLABERT'S Expériences 143.

(\*) Vide Recueil d'Expériences Tom. II.

Et nunc omnis dies hujus *Panaceae* nova  
excogitata edidit, & demum *Philosophum*  
**CUNAEUM** *Batayum* *Lugdunensem* *Bona Dea*  
edocuit. Nunc quidem, mens omnibus una  
est, nunc idem ardor per omnes insanit,  
omnes avidé effectus experiri volunt.

---

**CAPUT SECUNDUM.**

*De Cursu, velocitate & impetu Fluidi  
Electrici.*

**S**uccussio electrica non semper cursum brevissimum rimatur. Ita se res habet, si Corpora penetranda sunt aequi Ductores. Sin minus materies electrica viam brevissimam deferit, & conductores exquirit optimos, etiamsi multò longius sit iter, vel spatium jam ferè decursum. Facillimè Metalla, proximè Aquas, Animalia, Vegetabilia, aliaque hujusmodi penetrat. Fumus etiam & Flamma Electricitatis conductores habentur.

AERE

AERE exhausto, Fluidum Electricum permeat vacuum. Si a vase vitreo aër exhauriatur, & ad conductorem admoveatur filum, omnis scintilla per vacuum, sibi viam per ample fluento luminis conquirit. Saepeissime hoc flumen luminosum in varios fluvios Phantasmata jucunda exhibentes dividitur.

REVERENDUS admodum EPISCOPUS LANDAFFIENSIS succussum Electricum transmisit Tamesin; & postea spatium pedum terrae 2800, aquae 8000 (\*). Per agravit etiam succusso Electrica, nullo quidem puncto temporis intermisso, quatuor passuum, (duo Terrae, duo Catenarum) millia. Hi autem Philosophi, ne quidem

(\*) Vide Phil. Trans. abridged, vol. 10,

dem fallerentur, experimentum crucis infici-  
tuere. ELECTRICUM circuitum duorum  
millia passuum per ambages in eodem agro  
plurimas effecerunt. Hujus medium circui-  
tus in eodem tugurio cum Machinâ Electricâ  
fuit. Ita se re habente, quidam in utraque  
manu extrema fili apprêndit, & succussum,  
ipso punto temporis, quo Explosus fuit,  
persensit (\*).

Hoc maximum fuit experimentum, ac  
idem convincit ratio ipsa & veritas, ideo-  
que, ut puto, afferere fas erit, omnino ve-

---

(\*) Vide Phil. Transf. abridged. Haec & alia experi-  
menta similia tantam admirationem longè lateque exci-  
tarunt, uti illust. Professor RICHMANNUS in Epistola ad  
Dm. WATSON haec verba habeat. " Magnificentissimis  
" tuis experimentis superasti conatus omnium "

risimillimum esse; si Ignis Aethereus non sit adeo velox, quam est Lux, saltem hunc esse fluidum ei secundum, velocissimum.

IMPE TUS Electrici Fluidi aliis Phenomenis optimè consonat: Quis risum teneat simulantis Philosophorum miraclis, qui primò succussum exceperit? MUSSCHENBROEK, in Epistolâ ad REAUMUR, ait, se in Brachiis, humeris, & pectori tantopere percussum fuisse, ut exanimatus fuerit, & terroris & ictûs effectibus dies etiam duos laboraverit: neque (addidit) ad alium succussum excipiendum GALLIAE quidem ipsius pretium instigaret (\*). Fabulam autem omnium fictissimam de viribus Electricitatis mirificis Professor WINCKLER in medium protulit. Cum primum iustum exceperit, se convulsio-

ni-

---

(\*) Vide Histoire de l'Electricité p. 30.

nibus, ait, vehementissimis correptum fuisse; & sanguinem aestuasse in venis adeo, ut eum incesserit febris vehementis metus, & a refrigerantibus praesidium petierit; Quin etiam gravitatem ut a faxo in capite sensit, & sanguis e naribus effluxit (†).

Tot tantaque huic ignotae potestati adscripta, attentionem Philosophorum & cogitationem flagitarunt; Nonne autem vis Imaginatrix prodigium aliquatenus effinxit? Praxis hodierna hos mirabiles effectus, tametsi vires tantopere augeantur, nescit.

(†) Phil. Transf. abridged p. 327.

**C A P U T . T E R T I U M.**

*De Fluidi Electrici viribus in corpora inanimentata.*

**P**LURIMA & mirificae sunt vires Electricae in omnia terrarum corpora. Omnia, quae penetrat & ambit Electricitas, enumerare, laboriosius quam folia sibyllae colligere esset. Phenomena igitur notatu dignissima adducere, ni fallor, sat erit.

Attractionem capillarem adjuvat (\*).

Suc-

(\*) Abbé NOLLET & CINNABRUS & ALBIZZETTI,

Succusso electrica per aquam immissa illius particulas in vaporem unde quaque consperas convertit (†). *Pulverem nitratum, spiritum vini* (\*) & alia inflammabilia accedit. Succusso per glaciem immissa fossulas inaequales quasi aestuantis catellae imprimit.

ELECTRISATRO liquidorum Evaporatio nem promovet, non pro superficie, sed prout ad evaporationem proclivia sint. (§) Electrifatio etiam aquam, vix aut ne vix manantem, adeo citius & diffusius per syphonem expellit, ut luminosam exhibeat scopulam. Acubus magnetismum impertitur.

SCIN-

(†) *Ignis Aethericus* non solum aquae particulas in vaporem, ut Ignis communis, disseminat, dissipatque; tanto ocius quanto ipse ocior, efficit.

(\*) Idem certius efficitur, si *Spiritus tepefacti* sint.

(§) BECCARIA'S Artificial Electricity.

SCINTILLA acum transmissa Magnetis  
indicem dat, aufert, vel invertit; quamob-  
rem Philosophus diei percurrentis perpe-  
tuum & constantem Fluidi totius circui-  
tum a Noto usque ad Austrum vis Magneti-  
cae forsitan esse causam autumavit (\*).

MERCURIUM Thermometri elevat. Ope  
Scintillae Electricae Metalla in calces redu-  
cuntur; & formam Metallorum calces affu-  
munt. Inter Phenomena Electricitatis *Color*  
& *Sonus* locum dignissimum merent. Hic ori-  
ginem habere ab agitatione momentariâ aëri  
impertitâ videtur: Color e densitate maximè  
pendet, quum subtile est fluidum, coeruleum  
exhibit colorem; densius purpureum; &  
maximè condensatum, haud fecus ac Diei  
Lumen candescit fulguratque.

(\*) Vide Lettere dell' elettricismo p. 268.

## CAPUT QUARTUM.

*De Fluidi Electrici viribus in Corpora animalia.*

**E**XPERIMENTA omnia hactenus prolata gravissimam rem stabilire, nempe, *Fluidum Electricum magnum*, forsan maximum stimulum esse, videntur. Videntur sane; minimè autem pro concessa sumemus, nisi convincit ratio ipsa & veritas. Res ipsas iterum iterumque exploremus.

**M**YRTUM cum *Quercu* componemus. Hoc vehementi fluido *Quercus* diffunditur, hoc fluido

fluido léniori *Myrtus* saluberrimè excitatur.  
Electricitate lenissimâ *Arbuta* vigent, folia ex-  
plicant; vi stimuli fortiori ejusdem fibrae de-  
struuntur tenues, se contrahunt folia, lan-  
guescunt, pereunt.

MATRIS absentis vices supplet Electrici-  
tas, & foetum ovi in lucem prodit. Est au-  
tem utriusque rei modus, si sit stimulus vehe-  
mentior, foetum foecundatis ovis interimit,  
& vanâ spe matrem deludit (\*).

HOMO etiam ipse Terrarum Dominus  
vires ejus necesse agnoscit. Electricitas judi-  
cio & leniter applicata sospitem conservat,  
& morbos repellit; in fulmine autem collecta  
Jovis horrificè nos monet meminisse Mortis.

As-

---

(\*) Observations sur la Physique Tom. XX.

ASSEVERUNT quidam, nominis etiam eximii, quos inter conspicuè emicat BECCARIA; nonnullos a fulgure interemptos non ab ipso fulgure tactos esse: aëris, aiunt, vicini vacuitas est tanta, & Aër pulmonalis ad vacuum supplendum vi tantâ proruit, ut tales non iterum respirare possint (\*).

HAEC Hypothesis mihi splendidior, quam vera videtur; ne igitur veritatis simulatione fallamur, non fingendum, sed inveniendum, quid natura faciat aut ferat.

EXPERIMENTIS PRIESTLEII ut vallo munitus, ac insuper rei ipsi innitens Theoriā tam subtilissimē textilem rejicere audeo.

Ad

(\*) Vide BECCARIA's Artificial Electricity — Consule etiam PRIESTLEY'S History and present State of Electricity p. 638.

Ad hanc enim rem stabiendum vel refutandum ille Philosophus experimenta quaedam instituit.

Ictum superficiem humidae vesicae transmisit, sine autem effectu promisso. Urnam prope rubeculae rostrum & os muris eodem eventu disploavit. Quò statum Pulmonis certius comperiret, Animalium quorundam Pulmones Cerebrumque ictibus subjecit electricis, discrimen autem in cadaveribus fuit nullum: Pulmones similes fuere aliorum Animalium pulmonibus. Quaedam alia hujus Philosophi experimenta, imprimisque res quaedam ipsae in Cadaveribus fulmine interemptorum repertae, nobis aliter de actione Electricitatis inferre suadent.

TRIA in totidem Animalia instituit Experimenta, & in omnibus mors intempestiva subiit: Cor felis paulisper palpavit, subito

autem cessavit spiratio, & frustra ad vitam revocare pulmonum dilatatione conabatur. Ut Phenomena mortem praecedentia certius & accuratius contemplaretur, succussionem vehementissimam e Capite felis usque etiam ad Calcem transmisit; Paulo momento subitae vehementissimaeque convulsiones eam afficiunt; paulo post laterum Convulsiones minus vehementes, quies respiratio gravide laboriosa & gutturis clangor succedunt. Ita res se habuere quinque circiter minuta, dum spiratio celerior ingravescebat. His rebus ita se habentibus succussum iteravit, eademque iterum se symptomata praebuere, & demum vim vitae attulerunt.

Ictu i bis ferè vehementiori Canem domesticum subjecit, & symptomata similia ut in Fele produxit; quin etiam lachrymas Canis copiosè effudit & mane coecus fuit, quamvis alioquin sanus.

IDEM

Idem ille Philosophus scientiae amore imbutus, pauca in Ranas pericla tentavit, & excogitavit plura; aliena autem negotia, & magis adhuc humanitas vetuit. Quis hujus in labris humanitatem sessitantem non maxime veneratur, In talia his verbis mittentem?

*"It is paying too dear for Philosophical Experiments, to purchase them at the expence of Humanity."*

EXPERIMENTUM haud levis momenti in viventem gallinaceum instituit perquam illust. BECCARIA. Quam cautissimè musculi ventrem separavit, extremitates in situ relinquentes; succussionem transmisit: Exemplò crus vehementer elongatum fuit, & musculus usque etiam a tendine maximè inflatus faciem flabelli effinxit, neque postea stimulis etiam potentioribus obediret (\*).

FRANK-

---

(\*) Vide BECCARIA, Par. 632.

FRANKLINUS itidem ope Electricitatis: volucres necavit, & ille observavit, quod est notatu dignissimum, scil. animalia Electricitate caesa delicatula & tenerrima esse.

IN Cadaveribus quaedam fulmine interemptorum observata haud alienum erit memorare, & ad propositum stabiliendum multum coferet.

IN Cadavere cujusdam fulmine occisi abdomen & testes tumidae fuere; lateris sinistri cutis corii speciem ambusti exprimebat; aliae omnes cadaveris partes, nî excipias cervicem, purpureo-coccineo tingebantur colore: auris dextra haemorrhagiâ vix aut ne vix tincta, ventriculi cerebri fluido similè cruentis implebantur; pulmones collapsi; cor ipsum vasaque majora depleta; vesicae urinae & fellis omnino vacuae; dum ureteres urinâ distensi reperiebantur.

N.E.

**N**EMO fatum memorabile RICHMANNI, victimae scientiae, nescit. Hunc, experientia quaedam instituentem, fulmen percussit, & paulo momento Philosophiam Filio dilectissimo privavit. Ille ab Amicis, spectaculum luctuosum! sine motu, sine sensu inventus fuit, venâ pertusâ sanguis non effluxit: fricatio aequa ac sanguinis emissio nequicquam exercita fuit. Tantillum sanguinis fricationem inter ab ore difflit, & maculam rubram frons pauxillum sanguinis guttatum ejicientem ostendit.

**C**ALCEUS sinister ib igne aethereo, maculam coeruleam praebens accensus fuit — Uno verbo Cadaver plurimis inquinatum maculis corium ambustum referebat.

**C**ADAVERE postridie inciso sequentia observata erant: integra fuere cranium cerebrumque; pelliculae vero pellucidae Tracheae

tenerimae facilèque dilacerandae erant: Sanguinis aliquantulum trachea, sicut etiam infra thoraceim cava, continebat. Thorax autem aliaque viscera hujus fluidi omnino expertia fuere. Cadaver, lapsis quadragenitis & octo horis, adeo putridum evasit, ut vix sepeliri posset.

Si haec omnia attente revolvamus, ni fallo, colligimus; Causam proximam Mortis fulmine interemptorum e fibrae muscularis Irritabilitate deletâ pendere; Id Diathesis putrida, id musculus ne iterum stimulis obediens, id animalium delicatula teneritas sat satius evincit.

FONTANA Physiologus nostri aevi apprimè sagax & acutus, in Opere suo acutissimo & elucubrato, me judice, probavit, Fulmen

men in Corpus, ut aér Mephiticus (\*),  
vel venenum viperinum, agere. Longā ex-  
perimentorum catervā, & quae mihi quidem  
non videntur posse convelli, probavit haec  
omnia similiter itidemque animal afficere,  
scil;

(\*) BERGMAN Illustr. ita loquitur de animalibus  
*Acido aëreo* interemptis. " Post mortem pulmones pa-  
" rum collapsī reperiuntur, in aqua non subfident,  
" uti in vacuo pereuntium, sed natant, & saepe plura  
" monstrant loca inflammata. Truncus arteriae pulmo-  
" nalis, cordis ventriculus dexter, cum suā auriculā,  
" vena cava, jugularis, & vasa cerebri sanguine turgent  
" eumque in ventriculo dextro, polypi instar, non semel  
" vidi concretum; venae pulmonales, aorta, ventricu-  
" lus sinister, cum suā auriculā plerumque conflacces-  
" cunt: Fibrarum muscularium in toto corpore deleta  
" reperitur Irritabilitas: Ipsum cor ex animali adhuc  
" calente extractum, nec halitu, nec scalpello, nec  
" acido vitrioli concentratissimo ad motum excitare  
" potui".

BERGMAN de acido aëreo Sect. XXVI, p. 65.

fcil; fibrae muscularis irritabilitatem delendo.  
 Roget quis, quae mutatio *Physica* ab iectu elec-  
 trico obtinet? Aliisve verbis, in quo statu  
 musculum relinquit? Responsum est, eodem  
 atque in animalibus viperâ venenatis. In  
 his diathesin putridam musculi subito acqui-  
 runt: Idem in Animalibus Electricitate cae-  
 sis obtinet; animalia, quae vix aut ne vix  
 diebus sex grata fieri solent, Electricitate  
 necata, delicatula ac tenerrima totidem sunt  
 horis: Hoc idem experimenta plurima ac  
 confirmata arguunt, idem arguit historia.

CONCESSUM igitur sumemus. Quo au-  
 tem modo hanc Irritabilitatem destruit Elec-  
 tricitas? Texturam musculi internam transfor-  
 mat. Dispositio, Concordia, hoc fluido pe-  
 netrante integrè concutitur & dissolvitur.  
 Musculi evenit decompositio, atque hinc vis  
 insitae primitiae privatio; his ita praemissis  
 confusionem partium, situm fibrarum varia-  
 tum,

tum, necessariò ad *Irritabilitatis* privationem & corporis extinctionem facere, nemo, quin mecum agnoscat. *Irritabilitas muscularis* adeo lege immutabili regitur, ut, qua vi & celeritate exhaustionem patitur, eadem ratione cohesio fibrae particularum destrui & minuti necesse evadat, & teneritas, flacciditas, & diathesis putrida se ostendant. Plurima hujusce veri in memoriâ resident exempla. E quibus celeberrimi experimenta PRIESTLEII, & fatum memorabile RICHMANNI supra recensita sunt. Hoc idem a periculis FONTANAE, in venenum viperinum institutis, clarius etiam innotescit. Huc etiam tendunt alia innumerabilia exempla. Taurus immanis Canibus lanienis, pavidus Lepus turbâ Canum ferocium, exagitatus, hoc idem commonstrat. Anguilla, iectu pro Divitum Epulis sopita, arguit idem. Nil autem perlucidius & reapse tristius idem evincit, quam in Arabum desertis infelix, &

j. 33.

E

jam

jam de viâ fessus viator; qui Turbinis flatu  
flagrantis conreptus, victima stimulo ejus va-  
lidissimo paulo momento languescens, mo-  
riens, putrescens, cadit.

Huic cedunt omnia, Regnum etiam ve-  
getabile cedit. Fluidum Electricum, fibrae  
vegetabili lente leniterque affluens, vigorem  
renovat; nimio autem nimirumque subito ap-  
plicato, planta *Irritabilitate deletâ* citò perit,  
flaccescit, putrescit. Ad id credendum ani-  
mum inducere non difficile erit, partium  
enim confusionem variatumque fibrarum si-  
tum concedimus, & in hoc rerum statu fibras  
musculares a primitivo *Irritabilitatis* statu  
multum discrepantes putrescere necesse est:  
Omnis enim substantia eo magis putrescit,  
quo remotior a valetudine & vita sit, ne-  
que statum a vitâ remotiorem quam motûs  
privationem & Irritabilitatem deletam sci-  
mus. Ex his omnibus colligimus, Fluidum  
Electri-

Electricum in fibram muscularēm agere & solummodo Irritabilitatem destruendo interimere. Huic credere, e comparatione magis inducimur, quippe quae nonnihil nostram sententiam stabilire videtur. Ab Experimentis FONTANAЕ (\*) in venenum viperinum, satis innotescit hoc venenum minime in nervos agere, fibrae autem musculari applicatum Irritabilitatem tantopere destruere, ut post mortem non ulterius stimulis etiam potentioribus obediens sit, & insuper has fibras muscularares elongatas esse subitoque putridas fieri, certiores facti sumus. Quoniam sigitur eadem Phenomena in Animalibus Electricitate interemptis sese praebent; quandoquidem fluidum Electricum sicut etiam venenum viperinum stimulum esse nemo inficia-

---

(\*) Ricerche Filosofiche, sopra la Fisica Animale, di  
FELICE FONTANA.

ficiari potest; denique, quoniam ab experimentis supra citatis praeclarè evidens, venenum viperæ non nervos afficere, apparet; ex his omnibus colligitur, Fluidum Electri-  
cum externè applicatum, minimè in nervos,  
in fibram autem muscularē edere effectus.

Jam vero Causam Proximam, per omnes  
anfractus, omnesque eruendae veritatis late-  
bras, pro ingenii nostro modulo exploravi-  
mus; In quibus elaboravimus judicent alii;  
nullius Theoriae, veri tantum tenaces, " se-  
" quimur probabiliora, nec ultra quam id  
" quod verisimile occurat, progredi possu-  
" mus, & refellere sine pertinaciâ, & refel-  
" li sine Iracundiâ parati sumus." (\*)

(\*) CICERO Disp. Tuscul.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES

## CAPUT QUINTUM.

*De Methodis quibus Electricitas applicanda est.*

**F**LUIDUM Electricum corpori applicari potest,

**imo. Electrisatione simplici.**

**2do. Aurâ Electricâ.**

**3to. Scintillâ.**

**4to. Succussione.**

imo. ELECTRISATIO. Velut arbuta floresque subterfluit amnis, radices irrigans silentio, ita etiam Eleætrisatio obrepit Corpori, & silentè edit effectus. — Arteriarum pulsus stimulat (\*); secretiones auget; nonnunquam Capitis dolorem excitat (†); perspirationem insensilem promovet, & huic in Caelo opportuno fulmini quidam proclives sunt. Lenissimum & pergratum stimulum exhibet, & Diaphoresin parat. Apprimè utilis, ubi major Irritabilitatis accumulatio est. In Electrificatione aeger insulatus, materie electricâ impletur.

2do.

---

(\*) Hoc idem confirmant experimenta JALLABERT  
SAUVAGESII, ACHARD, VAN SWINDEN, ADAMI,  
PRIESTLEII, &c. &c. Objici potest, pulsum citatum  
mentis affectui tribuendum esse — Respondeo; ACHARD  
similia simili eventu periòla, in dormientes fecisse —  
Vide Observations sur la Physique, par l'Abbé ROZIER.

(†) Huic Tyro & peritiissimus aequo obnoxii sunt.

2do. AURA ELECTRICA. Admodum lenis est aura Electrica, & saepe scintillae pungentiori praeponenda. Vidi eam in *Ophthalmia*, *Odontalgia*, & *Surditate* cum commodo adhibitam. Certatum est a medico & peracto Electrosopho, fluidum electricum multò pungentius a ligneo quam a puncto metallico evadere, & haec verba habet. “*The Electric fluid issuing from a wooden point has a power, which is intermediate between that of a stream proceeding from a metal point and the power of the sparks*” (\*). In sententiam ejus, diffidentiā autem quā par est, ire nequeo. Primo quippe, metalla fluidum multò melius quam ligna transmittere, & secundo quia citius & potentius hydrargyrum Thermometri deductoribus metallicis affici experi-

men-

(\*) Vide CAVALLO.

mēnta probant; quin etiam vir, cuius inge-  
nio & ardori Electricitatis maximoperè arri-  
det Fortuna, huic Opinionis, puto, favet,  
cum scintillam sub titulo stimuli; succussio-  
nem Deobstruentis; auram autem sedativi  
posuerit (\*).

*stio SCINTILLA.* Maximam, apud me-  
dicos *Scintilla* nuper nec immerito, sibi fidem  
vindicavit. Major enim minorve ad arbit-  
rium fit. Quot vero morbis, quibusve scin-  
tilla praferenda, enumerare non est propo-  
situm. Sat erit observasse medium tenere;  
maximè omnium universe utilem; & cum  
commodo ferè semper in morbis, queis stim-  
ulus lenior postulatur, esse applicandam.  
Si aeger superfellam vitream, deductori con-  
nexam ponatur, & rota machinae circumacta  
fit,

---

(\*) Vide ADAMS Electricity.

fit; ille materia electrica impletur, & virga metallica appropinquante, validae educuntur scintillae. — Si autem panno laneo pars affecta obtegatur, & virga ardete & celeriter admoveatur, scintillulae numerosae pungentes promiscue sequuntur.

*Succusso.* Nuperrime succusso in usu scintillae frequentior aliquatenus oblituit. Fabrica quidem animalis adeo tenerima & fragilis est, ut succusso stimulum nimis potentem exhibeat. Corpus mirificè penetrat & percit, solida concutit, sanguinis circuitum, & respirationem accelerat. Insignem animi & corporis consensum saepe conciliat. In Foeminis quibusdam menses, quibusdam hysteriam, aut, si sit fortior stimulus, dolores acutos, nauseam, Febremque brevem excitat (\*).

Succ-

(\*) Non defunt exempla Coicitatis sive Corneae Opa-

**Succusso** a Brachio in Brachium immisso, ut major minorve, variat effectibus; leviuscula in digitis solummodo; fortiuscula in carpo; in cubito fortior; fortissima in thorace perfentitur; per caput immissa vix ac ne vix toleranda est; judicio tamen applicata plurimis in morbis optime valet; apprimè utilis in *Paralyse*, *Rheumatismo Chrontico*, *Amenorrhoea*, & aliis quibusdam morbis agnoscitur. Sanatio vero, si mihi fas sit loqui, primo lenissimis, lenioribus postea, ratiissimè validis incipienda, perducenda, perficienda.

citius in circuus accipiente  
titatis, & salivae fluxus ab ictu electrico. *Confusum*  
*PRIESTLEIUM*, *SAUVAGESIUM*, &c.

## IN FEVRÉ INTERRMITTENTIA

Symmissi Iudicis hoc remedium in tunc  
lateralibus efficit; CAVARIO (2) sic

**C A P U T S E X T U M .**

*De quibusdam Morbis, queis Electricitas ad-  
hibenda est.*

**I**n plurimis morbis apprime utilis videtur  
Electricitas; quales sunt *Febris Intermittens;*  
*Rheumatismus Chronicus;* *Paralysis,* *Affectiones*  
*spasmodicae,* ut *Chorea Sancti Viti,* *Tremor &*  
*Tetanus;* *Amenorrhœa;* *Amaurosis;* *Ophthal-*  
*mia;* *Fistula Lachrymalis;* *Surditas;* *Tumores*  
*incipientes,* &c. &c.

## IN FEBRE INTERMITTENTE.

SUMMIS laudibus hoc remedium in *Fébre Intermittente* effertur ; CAVALLO (\*) ait.  
 " Agues seldom fail of being cured by it, so  
 " that sometimes one or two Electrifications ha-  
 " ve been sufficient" SYMES (†) utilita-  
 tem ejus in tribus exemplis expertus fuit, &  
 WESLEY (§) se vix aut ne vix Tertianae  
 exemplum vidisse, quam Electricitas non de-  
 pulit, affirmat. Complurium etiam aliorum  
 auctoritas (||) satis superque, quam in hoc  
 morbo utilis est, evincit. Hortatus est vir  
 modo citatus, scintillulas sextam vel quartam  
 horae partem per lanulam aut vestem aegri

(\*) Vide CAVALLONIS OPUS p. 66.

(†) Vide SYMES treatise on fire.

(§) Vide WESLEY's Desideratum.

(||) Vide Recueil, Phil. Trans. Vol. 47. &amp;c. &amp;c.

educere, nonne autem, paroxysmo ingravescente, lenissimae succussions utilius educendae? Si aranea paroxysmo occurrat, subita concussio Electrica mentem haud minus afficiet, & morbum repellent. Admodum utile erit remedium iis, quibus *Cortex Peruvianus* nauseam ciet.

### IN PARALYSIS.

Quum primum nota fuit Electricitas, vires ejus in hoc morbo sublevando & amovendo exploratae sunt, & fama ejus usque ad nostrum aevum augeri videtur; e-multitudine exemplorum perpaucā feligere sat erit; medicus ille & providens sciensque, ANTONIUS DE HAEN, usum ejus dignissimo sanctivit exemplo. Verba ejus adducam “ G. nauta 42. vitae annorum agens, ex tertianâ ante annum habitâ, paralyticus omnibus artibus paulatim factus est, cruribus ge-

nibusque molesta formicatio inest : brachia  
& dolent & marcescunt, perpetuo sudores  
nocturnos patitur ; &, quod sibi omnium mo-  
lestissimum, iners veluti plumbea moles in  
cavo abdomine ad umbilici altitudinem non-  
nunquam paulo altius percipitur, perpetuò-  
que Homo de illâ conqueritur, & lamenta-  
tur. Interim abdomen externo sensu ipsi mo-  
lestissimum est, nec ullum viscus male se ha-  
bere percipitur. Tandem extrema digitorum,  
manuum, pedumque admodum dolent, vires  
omnes collapsae, facies plumbum colore re-  
fert. Cum bonis frictionibus, remedia ipsi  
leniter solventia & neurotica dedi ; ubi autem  
deinde quandam veluti laxitatem muscularum  
abdominis, praecipue rectorum, advertebam,  
curavi lato cingulo abdomen circumvolvi ac  
muniri, interea temporis ad machinam Elec-  
tricam eum quotidie admovi ; mense toto  
*Junio* elapso, non nihil emendationis in cru-  
ribus percepit. Mense *Julio* nulla emendatio.

To-

Toto *Augusto* frustra finiente, *Septembri* emendatio tanta, ut vix sit credibile; adeo nunc utitur superioribus atque inferioribus artibus, adeo ipsi bene in abdomen est, ut iterum fungatur officio suo; quia tamen veteris mali tantillum adhuc superest, promisit, quoties id sua negotia sibi permittant, ad machinam se redditurum”.

Exemplum jam recensitum & multa ab aliis probata nos admonent, ut ne cito desperemus; **F R A N K L I N U S** quidem, ne nimis hujusce viribus credamus, commonefecit, neque neficius sum cautelam experientiam suggestisse; est nemo autem, si ita fas sit loqui, qui non agnoscet, hunc Philosophum, neque rem bene tentasse, nec, si bene coeptam sat perfeveranter persecutum esse. Tot tamque praeclera beneficij ejus exempla ulli, utcunque eximio nomini neutiquam cedamus; ut enim fileam **P R I E S T L I U M**, **S A U V A G E**-

SIUM, CAVALLONEM cū multis aliis,  
 JALLABERT me de hac re certiore fecit;  
 Exemplum hominis cuiusdam nobis dedit,  
 qui, a mallei iictu, *Paralyſi* quindecim annos  
 laborāſſet; & qui, quamvis annum quinqua-  
 gesimum & secundum attigerat, fedulo duos  
 menses Electricitatis usu penitus convaluit.  
 Eventus autem maximē de causis, quae mor-  
 bum excitant, pendet; cerebri vel medullae  
 spinalis compressionem, texturam etiam ner-  
 vorum organicam deletam, frustra impugnat  
 Electricitas: Cum vero *Paralyſis* a frigore,  
 narcoticis, metallisve oritur, praecipue  
 si unicum membrum afficiat, felicem nobis  
 sperare licet eventum; quin etiam animo  
 adsunt exempla, queis *Hemiplegias* immo  
 pertinaces Electricitas sanavit. SAUVAGE-  
 SIUS (\*) in Epistolā ad BRUHIER efficaciam

---

(\*) Vide Recueil

ciam ejus commonstrat. Quidam annos septuaginta natus, & qui quatuor annos ex illo tempore Apoplexiâ conreptus fuerat, demum *Hemiplegia* vexatur; Brachium ei sinistrum sine motu, sine sensu, macieque confectum dependet; Crus socium passus alterius alacriores invitè sequitur, linguâque participante vox faucibus haeret; in hoc rerum statu, spem languescentem, & jam ferè fugientem, subitò Electricitas renovat, refovetque; brachium vires-formamque assumit; digitii & lingua iterum funguntur officio.

HART (\*) casum per se miserum, ab Electricitate inferiorem, ut narrat, concedo; Puella, cum vix annum decimum sextum at-

(\*) Vide BECHET's Treatise on Electricity, vide etiam Phil. Trans. Vol. 48.

tigerat, brachii sinistri *paralyſi* laboravit;  
 & demum ad Electricitatem ut remedium  
 efficacissimum confugit. Bis explorato reme-  
 dio, en Eventum! totum *Paraplegia* corpus  
 incessit; *Paraplegia* nova remedii aliis pro-  
 pulsa, evanuit, altera autem permanxit; ite-  
 rum exploratum est remedium, & iterum  
*Paraplegia* incessit & insuper vox eam de-  
 fecit.

TALIA sine dubio Electricitatem neuti-  
 quam esse Panaceam fatentur, quid autem re-  
 medium Dii semper secundant?

### **I N A M E N O R R H A E A**

Tor tantisque in hoc morbo beneficiis  
 repleta est Electricitas, ut, si in aliis futilis  
 nocensve esset, ut maximis tamen honoribus  
 decoraretur, mereret; est igitur in aeternâ  
 laude posita maximè eorum memoria, qui in  
 hoc

hoc morbo locum pro meritis dignissimum  
Electricitati primo dedere; inter hos CUL-  
LENUS (\*) noster & noster GREGORIUS,  
tales enim nostros vocare gloriior, & usque  
gloriabor, conspicue emicant. CULLENUS  
jam dudum ut stimulantium vasis uteri for-  
tissimum optimumque Electricitatem laudavit.

*“The various medicines recommended as stimu-  
“lants to the uterine vessels under the title of  
“Emmenagogues have never appeared to me to  
“be effectual; and I cannot perceive, that any of  
“them are possessed of a specific power in this  
“respect. Mercury, as an uniyersal stimulant,  
“may act upon the uterus, but cannot be very  
“safely employed in Chlorotic persons. One of  
“the*

(\*) Hunc virum egregium, heu! fatum irrevocabile  
nimis citò arripuit. Gente erat scotus, & de illo di-  
ci potest, quid in ore Eruditorum percrebuit de BUCHA-  
NANO, & Σκότος ἦν, αἰδη φίλος Σκότιος.

" the most powerful means of exciting the action  
 " of the vessels in every part of the System, is  
 " the electrical shock; and it has often been  
 " employed with success for exciting the vessels of  
 " the uterus ". (\*) GREGORIUS etiam  
 ait: " Proximum fortè huic (de Exercita-  
 " tione loquens) inter remedia, quae men-  
 " ses elicunt, locum occupare meretur Aura  
 " Electrica, quae etiam toti corpori per  
 " ictus admota, sed promptius & certius ad-  
 " huc circa lumbos, & Abdomen & Pubem  
 " adhibita, menses adeo potentè movet,  
 " ut saepe ipso temporis puncto, quo adhi-  
 " betur, inopinantibus prorumpant; & hoc  
 " stimulo ejus planè tribuendum est ". (†)

HIS

---

(\*) Consulas hortor atque oro, First Lines of the  
Practise of Physic.

(†) Perlegas obsecro GREGORII Conspectum.

His alius etiam celeberrimus laudes adjungit, " cum potestas electrica ( ait VAN SWIETEN ) in curatione morborum adhiberi coepit, menstrua per eam non parum augeri, & multo copiosius, quam quolibet alio ante tempore, provenire notata. Succus electricus, in morem fulguris, in omnia momento penetrat, hinc vascula aperiuntur, motusque humorum non parum augetur".

TALI virorum illustrium praesidio munitionum non parvam expectationem hoc remedium sustinet; neque vanâ spe fallimur. A viro eximio SAUNDERS quidam casus referuntur, quorum unus tam praeclarus est, ut silentio omnino praeterisse nefas fuisset. Foemina quaedam malis Hystericis, una cum sanguinis e ventriculo, utero, & naribus effusionibus, obnoxia, inter menstrua aedificio succenso perterrita fuit; exemplo cessere

menses, accessere animi deliquia, clavis hystericus, sanguinis vomitio & lateris sinistri Hemiplegia; insuper etiam facta fuit coeca. Medicaminum subsidio sex septimanas longas symptomata prementia evanuerunt, septem autem revolentes menses, non unquam apparuerint menstrua, neque aciem oculus accéperit; ad Electricitatem configitum est; en effectum insútio apparuere menses & eadem illâ nocte visus oculi paululum redivit; repetitâ Electricitate aciem oculi mirè admodum recuperavit & retinuit. **MUSGRAVE** in Praelectionibus se tantum fidei in Electricitate habere agnoscit, ut ne quidem in Phthisi Pulmonali ab *Amenorrhœa* ortâ diffideret, atque **MAUDUIT** in verbis etiam paucioribus potestatem ejus in *Amenorrhœa* tam clarè cognitam affirmat, ut Commentaria superflua existimet. **BIRCH** autem, quo non alter in hoc morbo Electricitatem magis illustravit, vires ejus tam variis

exemplis probavit, ut de efficacia ejus nemo dubitare possit; in proaemio opusculi ejus, affirmat Electricitatem haud minus Panaceam in Amenorrhœa, quam in Intermittentibus Corticem Peruvianum, vel mercurium in Lue venerea, se persuasum habere; Quo (sive rūfum) quid dici potest delectabilius? In hoc, & sane omni morbo utilius erit & efficacius citò remedium administrare; Omne malum nascentis facile opprimitur, inveteratum plerumque robustius.

#### IN RHEUMATISMO CHRONICO.

JAM diu dolores Rheumaticos Electricitas felicitè impugnavit. Quidam insignes casus in omnibus ferè Auctoribus referuntur.

PRIESTLEIUS, CAVALLO, & alii complures summis vires ejus laudibus commendant.

Ces-

Celebris SAUVAGESIUS (\*) dixit, ne unum quidem, e quinquaginta affectis, a machinâ electricâ sine commodo abiisse. Similia simili auctoritate sancita prolata sunt exempla. Casus autem, me judice, insignior a sodali ingeniosissimo ad honores Academicos nuper electo narrabatur. Rheumatismus chronicus a nimia purgatione & abstinentia talum Juvenis invasit & tantam ligamentorum debilitatem induxit, ut non citius ambulare conaretur, quam luxatio incideret: Ille Amici cubiculo experimenta quaedam Electrica instituentis obvenit; temerè ac fortuita levem succussionem exceptit & subito se subelevationem accepisse exclamavit; amicus laete electricitatem iteravit, ac tam felici exitu,

---

(\*) Vide Recueil sur l'Electricite.

ut illico evanuerint dolores , neque iterum  
invaserint (†).

M I H I accidit efficaciae ejus testimonium  
indubitable videre. Vir quidam , cruciati-  
bus rheumaticis fere confectus , & spei jam  
fere expers , me maximopere flagitavit , ut  
hoc remedium tentarem : manus & crura  
acerbius morbus opprimebat , quamvis totum  
corpus ex oppressione laborabat ; dexter ,  
vix aut ne vix quidem genam attigit , ne-  
dum caput operire potuit ; spem inter me-  
tumque dubius , mei , meaeque diffidens expe-  
rientialiae , invitus efflagitationi cedebam ; su-  
bitam sublevationem accepit , & Electricitate  
paucis diebus continuata , iterum ad suos fa-  
nus rediit.

R A-

(†) Vide Dissert. Inaugural. Gul. ALLANBY.

Rarius autem tam subita expectanda est sublevatio, atque ideo Cel. GREGORIUS in Praelectionibus diu perseverare optime admonet.

### IN ARTHRITIDE.

PAROXYSMUM Arthriticum sublevare & frangere putatur Electricitas. Remedium vero, me judice, dubium, nonnunquam periculosum est. Nonne enim Paroxysmum fortasse etiam in ventriculum vel caput rediturum verisimillimum est?

### IN AMAUROSI.

IN Amaurosi & etiam Ophthalmia hoc remedium, jure forsan, summis laudibus effertur. In illa, cum tumor nervum opticum comprimat vel aliter hoc organum laboret, spes telam tenuissimam orditurn; quando au-

tem

tem evacuationibus causisve aliis debilitantibus, quando ab affectione muscularum oculi spasmodicā nervum opticum comprimentium oriatur, tum auctoritas, mihi usque veneranda, spes alere gratas persuadet (\*). *Ophthalmia* a vasorum laxitate commodum accepisse ab Electricitate dicitur, & in utrisque quidem exempla (†) efficaciae ejus proferuntur: In hac autem vel illâ cautissimè adhibendum est tam potens remedium.

## IN

---

(\*) Audi cel. Anatom. Professoris Praelect. Hoc idem monent Chirurg. cel. HEY; Vir Illust. CAVALLO &c. &c.

(†) Vide BECKET'S Treatise, FLOYER, WESLEY, SIGAUD DE LA FOND &c.

## IN AFFECTIONIBUS SPASMODICIS.

Ex his tantum Chorem & Tetanum mihi  
est in animo hic memorare.

**C**HOREĀ Sancti Viti afflictos Electricitas  
fanavit plurimos. Summis laudibus DE HAEN  
efficaciam ejus ornavit, & quidem in *Choreā*  
incassum adhibitam se nunquam vidisse affe-  
ruit (\*). CAVALLO, WATSON & FO-  
THERGILL idem testimonium dant (†).  
Casum hujusmodi insignem hic Auctor refert.  
Puella decimo vitae anno hoc malo afflicta  
fuit; sex septimanas assidue, ni forsan somno  
subinde repulsus, oppressit morbus; macie  
con-

(\*) Vide DE HAEN Ratio Medendi Vol. I.

(†) Consulas oro, Phil, Transf.

confecta fuit, vox eam & memoria defecere; remedia antispasmodica sine ullo beneficio usurpata sunt; & demum ad Electricitatem sicut ad aram confugiens, en mirum! Mense uno revolente Parentibus sana restituta fuit (\*).

### I N T E T A N O.

I N hoc morbo apprimè utilis est Electricitas. Plurimi efficaciae ejus casus, insignior autem, a viro eximio WATSON (§) refertur. Puella quaedam affectu a vermis laborans, demum Tetano correpta fuit; rigiditas spastica corpus diu flagitans, tandem adeo con-

sum-

(\*) Consule iterum Phil. Trans. Vol. 69.

(§) Consulas quo Phil. Trans. Vol. 49. p. 558.

sumpsit, ut vestigia formae vix reliquerit; spes erat in angusto; Electricitate nihilominus adhibita, citò penitus convaluit. Doctor SPRY (†) aliud efficaciae ejus exemplum in medium protulit, atque alia in aliis Auctori- bus inveniuntur; insignissimum autem & qui- dem indubitable utilitatis exemplum in Actis Societatis (\*) eruditissimae scientiaeque de- ditae, refertur; quo aliis remediis frustra ad- hibitis Aegra Electricitate sanata fuit.

## IN SURDITATE.

IN organa auditūs delicatula adeo & tene- ra, pauciora sat tutò experiri possumus; in pau-

(†) Ibid. Vol. 57. p. 82.

(\*) Vide Libellum dictum, " Cases & Observations  
" by the Medical Society of Newhaven State of Connec-  
" ticut.

paucis tamen exemplis, quibus fluidum electricum fuit expertum, optimé profuit. WILSON (\*) auditum Foeminae restituit, quae tanto vitae beneficio plus annis septem decem privata fuisset; atque alia ab aliis Autoribus exempla proferuntur.

E COMET etiam bonis avibus bis remedio expertus sum: vir nobilis a me propter surditatem gravissimam auxilium petiit; consilii aequae, aequae experientiae expers, invitè suscepit pensum; pedetentim & gradatim rem adgressus, dum fiduciam bonae aves excitārunt; tres septimanas laeti remedium iteravimus, cum auditum, beneficium vitae gravissimum, quadraginta annos amissum, multū recuperavit.

S I -

---

(\*) Vide WILSON's Essay p. 207.

SIMILI Fortuna similis casui arrisit, & notatu est dignissimum, in utrisque secretio- nem ceruminis copiosam fuisse post quam- cunque Eleætrificationem.

### IN TUMORIBUS INCIPIENTIBUS.

Hab obstruktione nati, saepius Eleætricitate discutiuntur; quales sunt, *Bubo incipiens*, *mammarum tumor*; *Tumores scrophulosi*, *schirrosi*, & his alii affines (\*). Adhibitio lenissima his maximè profuit. ZETZEL tribus tumoribus Ganglia dictis sublevationem attulit (†). JALLABERT efficaciam Eleætricitatis in tumoribus scrophulosis primùm

afte-

(\*) Consule CAVALLONEM.

(†) Recueil sur l'Electricité.

afferuit (\*), & idem CAVALLO confirmavit (†).

MULTITUDINEM etiam, praeter haec jam recensita, malorum allevavit vel saltèm allevasse autumatur Electricitas. Qualia sunt *Hysteria*, *Cephalalgia*, *Odontalgia*, *Cynanche maligna*, *Eruptiones cutaneae*, & alia similia mala.

UTILITATEM ejus in variis venereis affectibus, scilicet, Gonorrhœâ Chordatâ, vel pure diuturno post virulentam, verrucis syphiliticis, aliisque compertam habemus a viro illustr. HUNTER (§).

Be-

(\*) Recueil sur l'Electricité.

(†) Vide CAVALLONIS Opus &c.

(§) Vide HUNTER on the venereal disease.

BECKET etiam optimè observavit Electricitatem mirè admodum Epispaistica in officio suo adjuvare (\*); Et PRIESTLEIUS illam secretionem materiei, quae capillos format, promovere, & comas parti capitis calvae Electricitatem restituere, credidit (†).

(\*) Vide BECKETS Treatise.

(†) Consulas oro volumen PRIESTLEII perelegans.

P. 395.

## CAPUT SEPTIMUM.

*De actione Electricitatis in sanandis morbis.*

**T**erram demum video; ne igitur ulterius  
hasce primitias protraham, quod restat,  
quam strictim brevitèque potero, comple-  
ctar; neque propositum, neque res ipfa plu-  
rima poscit, & quidèm vereor, ne jam lon-  
gior fuerim.

**N**EMO, puto, qui naturae phenomena  
contemplatur, Fluidum Electricum esse sti-  
mulum inficias ibit. Stimulum esse & per  
vires suas stimulantes professe, jam satis

probatum est. Id etiam Analogia; id ratio-  
cinium; id ipsa natura docet. Lux sicut,  
omnia pervadit, penetrat omnia; nunc Foe-  
tus anhelat, nunc “ *Tonitru quatiuntur Caeru-*  
“ *la Caeli.* ”

Hos demum conatus ad finem perdux:  
si a consilio meo me nimis errasse judicetur,  
ac forsan ex aliis supellecstilem satis amplam  
sublegisse, verbis divini CICERONIS re-  
sponsum habeo; “ Neque istas quaestiones  
“ physicorum exterminandas puto. Est  
“ enim animorum ingeniorumque naturae  
“ quoddam, quasi pabulum, consideratio,  
“ contemplatioque naturae. Erigimur, elab-  
“ tiores fieri videmur, cogitantes supera  
“ atque Caelestia. Indagatio ipsa rerum  
“ tum maximarum, tum etiam occultissima-  
“ rum, habet oblectationem. Si vero ali-  
“ quid occurret, quod verisimile videatur,  
“ humanissima completur animis voluptate.”

MULTUM officio meo deesse mihi vide-  
rer, si non hanc & omnem occasionem Socie-  
tatis Regiae Medicae Edinensis Sociis, grates  
persolvendi gratissimas, avidè captarem;  
quo me cunque rapiet *Fortuna*, nescio;  
hoc autem pro certo scio ubi gentium, ubi  
Terrarum sim, animum Beneficiorum ves-  
trum, vestrum amicitiae memorem, So-  
cii DIGNISSIMI, semper habebo; inter  
autem dies felicissimos, diem terque  
quaterque felicem ponam, quo ad *Hono-*  
*rem Praefidis* me suffragia vestra unanimia  
attulerunt. — Propter hoc, propter omnia  
in me allata beneficia, grati animi accipite  
grates.

VALETE SOCI; VALETE AMICI.

T A N T U M.

# THESES.

*Causa proxima mortis fulmine interremptorum e fibrae muscularis Irritabilitate deletâ pendere videtur.*

*Mors naturalis est sequela vitae semet ipsam destruentis.*

*In primo stadio Phthisis Pulmonalis quam maximum prodeſſe potest motus lenis oscillatorius.*

*Podagra vix hereditaria haberi potest.*

---

## E R R A T A.

---

- Pag. 29 1. 13. ib *lege* ab  
— 38 1. 18. periôla *lege* pericla  
— — 1. 19. ROLIER *lege* ROZIER  
— 49 1. 16. BECHET's *lege* BECKET'S  
— 64 nota (†) Recueil *lege* Recueil  
— 65 — (\*) Recueil *lege* Recueil
-

... *litteris* *litteris* *litteris* *litteris* *litteris*

... *litteris* *litteris* *litteris* *litteris* *litteris*

... *litteris* *litteris* *litteris* *litteris* *litteris*

